



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

§. 10. Regnum Cataloniae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

rem prosperè in Mauros gestam ditionem ad Fl. Aragonem recepit à Rege sub iure clientelæ, & nomine Comitis. Sub Sancio Magno Regnum institutum est, datumque primò Ramirio Regis notho, qui postea regna Sobarbiæ, & Ripargorziæ, eidem regno coniunxit, ex quibus hoc maximè censetur coaluisse. Porrò fuit modò Nauarræ, modò Castellæ vnitum, aut separatum. Donec sub Ferdinãdo V. & Isabellâ Magnum Hispaniæ regnum cum Castellâ conflauit. Regio quâ Pyrenæum attingit satis fertilis, & rigua, versus Castellam sicciior, & penè deserta; ferro optimo abundat.

§ 10. *Regnum Catalonia.*

A Gothis & Alanis in eâ sedes coniungentibus nomen accepisse creditur, à quibus Gothalia dicitur, à Mariana Catalaunia. Regio egregiè rigua, & quibusdam in locis satis fertilis. Per Martellum, & Francos defensa ab iisdem Comites accepit, qui Barcinonenses appellabantur. Perpetuum habuit primum, Godefriadum cognomento Hirsutum *le Velu*, cum is se fortem præstitisset Carolo Crasso in bello Nortmanico; eâ lege tamen vt Franciæ clientelaris esset. Nihilominus Raymundus Berengarius, postea dictus Alphonfus cum duxisset Reginam Aragoniæ Comitatum suum huic regno coniunxit reclamantibus Gallis: donec per Philippum Audacem lis composita. Hic enim Aragonis filiam vxorem duxit, & ius patronatus abalienauit, dummodo vt Rex Aragonius iure cederet earum ditionum, quas sibi in Galliâ vindicabat. Barcino seruat aliquam Reip. formam. Magna autem pars Catalaniæ imitata suam Metropolim, ad Gallica scepra sponte transit. Huius pars ante paucos annos habebatur

Comitatus Ruscinonensis.

ERVS Comes nominatur Gerardus, qui cum sine liberis mortuus esset, obuenit Raymundo, seu Alphonso Aragonum Regi. Sed postea Iacobus Aragonius hunc pecuniâ, & auxilio vendidit Ludouico XI. in Catalanicis tumultibus. Restituit eam Ferdinando Aragonio Carolus VIII. eâ conditione vt Neapolitanos Reges affines eius non iuuaret, in quos bellum parabat. Sed promissis non stetit, & quod offerebatur accepit. A Lud. XIII. for-

Nn ij